

Forfatter: Brahe, Tycho

Titel: Udrag fra In Nic. Cragii ... [Epigram om Niels Krag's Respublica L...]

Citation: Brahe, Tycho: "Tychonis Brahe Dani opera omnia", i Brahe, Tycho: *Tychonis Brahe Dani opera omnia*, udg. af I.L.E. Dreyer, 1913-29, s. 193. Onlineudgave fra Arkiv for Dansk Litteratur: <https://tekster.kb.dk/catalog/adl-texts-tycho09tom-shoot-idm139660972117728/facsimile.pdf> (tilgået 24. april 2024)

Anvendt udgave: Tychonis Brahe Dani opera omnia

[Ex excerptis Langebekianis Hauniensibus nr. 178]

IN NIC. CRAGII REMPUBLICAM  
LACEDÆMONIORUM.

5 **C**UR antiqua adeo, cur tempore diſita et orbe  
Nunc Lacedæmoniōw, Cragie, facta novas?  
Et cur non potius patriæ mage cognita geſta,  
Vel quam nunc habitas, urbis aperta facis?  
Tutius eſt forſan Veterum monumenta referre;  
Noſtra ut ſcire juvat, ſic memorare nocet.

10 [E codice Vindobonensi lat. 10686<sup>12</sup>; cf. P. J. Resenii *Inscriptiones Haſſienſes* (Hauſlæ 1668)  
p. 411 ſqq.]

1<sup>r</sup> URANIA TITANI.

10<sup>r</sup> **E**N tibi ſexcentos tribuit quos Pagina verſus,  
Accipe, mi Titan, et lege quando vacat.  
15 Sunt ideo multi, ne ſit reſponſio promta;  
Ipſe ſed hanc nobis ore referre velis.

1<sup>r</sup> **V**ENIT ab Urania, quam cernis epiſtola, Titan;  
Nil ſibi reſcribi, te ſed adeſſe cupit.  
Littera multa quidem perarata eſt, multa ſuperſit,  
20 Aſt cum te caream, quid tua charta juvat?  
Te retinet nimium noſtris ars invida votis,  
Nec tanti Hermes, nec tota Chimia foret.  
Ars vana et linquens vacuatas ære crumenas,  
Quam propter vacuo linguor et ipſa thoro;  
25 Quam propter ſine ſole dies, ſine ſidere noctes  
Orba traho, quod abes, Solque Jubarque meum;  
Ars utinam tenebris, unde orta, periſſet Averni,  
Quæ mihi tot nitidos abſtulit atra dies.  
Jure vocanda atra eſt, quia ſit carbonibus atris,  
30 Non decuit niveas res ita nigra manus.  
Aſt ego quod linquar, modicum eſt, tu læderis inde;  
Ægra ſit hinc tua mens, hinc male corpus habet.  
Quando etenim curis nimijs nocteſque dieſque  
Carperis, ut votis ars ſit amica tuis,  
35 Et tandem inventum NIHIL eſt, quod et uſque requiris,  
Nonne animus tantâ ſpe cecidiſſe dolet?  
Dum per anhela trahis fœdos ſpiracula fumos,  
Quos ſimul et carbo materiesque parit,

25

Nonne